



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Opera Omnia Ascetica**

Aucta Duobus Opusculis De Effectibus, Fructu, Et Applicatione Sanctissimi  
Missæ Sacrificii, Et De Sublimitate Perfectionis Religiosæ. Catalogum  
Tractatum Asceticorum Omnium Vicina Post Dedicationem Pagina  
Indicabit

V. P. Gasparis Druzbicki, Societatis Jesu, Tribunal Conscientiæ Per Varias  
Examini Industrias seipsam dijudicantis, Tendentibus ad perfectionem,  
præsertim Religiosis accommodatum

**Druzbicki, Kaspar**

**Ingolstadii, 1732**

**VD18 90066413**

Industria VI. Ratio examinandi Conscientiam, per Confessionem coram  
Deo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45441**

## INDUSTRIA VI.

*Ratio Examinandi Conscientiam per confessionem  
coram DEO.*

**C**onstitues te coram Deo Iudice, in forma rei & peccatoris, statuesque tibi, juxta Jeremiae 31. 21. præceptum, ipeculam, & eam conscendens, pones tibi, vel potius Deo, ante oculos, amaritudines culparum & imperfectionum tuarum, recogitando, cum illo Rege omnes annos tuos, omnes horas diei, omnes actus tuos diurnos, in amaritudine animæ tuæ, easque simul ac statim confitendo, cum pudore, dolore, detestatione cordis, confusione faciei tuæ, nullâ quoad fieri poterit, ommissa cogitatione, verbo, opere, omissione, imperfectione, quàm Deo non manifestes, atque confitearis exactissimè. Non quidem idè, ut illas Deus ex te cognoscat quasi ignarus, sed potius ideo ut ipse eas cognoscas, & penetres, & coram Deo detesteris ac erubescas, efficaciusque desleas ac emendes. Dices ergo more illo Ecclesiæ.

*MEA culpa, mea culpa, mea maxima culpa.  
Confiteor Domine Deus meus adversum me omnem  
injustitiam meam, quàm in oculis Divinæ Majestatis  
Tuae, ego vilis & ingratus commisi. Non conjicio  
culpam meam Domine in voluntatem Tuam, non in  
demonis tentationem, non in carnem ac sensualita-  
tem, quæ me impulerit, non in mundum, qui me de-  
mentavit, non in occasionem quæ se obtulerit, non in  
passionem, quæ præoccupaverit, non in exemplum,  
quod permoverit, non in defectum auxilii, celestis,  
quasi defuerit, sed in meam propriam voluntatem  
malam*

*Isa. 35. 15.*

*g. Dr. C.  
Bicki  
opere  
Tom. 115  
N. V  
58*

*mal  
negl  
ind  
prop  
culp  
mea  
omij  
bus,  
insp  
mal  
temp  
tang  
tion  
ne p  
vari  
spira  
stuli  
di, r  
hab  
ang  
lis m  
quo  
quo  
pre  
cum  
tùm  
gnur  
temp  
aliis  
diffe  
pro  
emer  
mibi  
tame*

malam, quæ acquievit & voluit, in meam deſidiam, negligentiam, inefficaciam, ſenſibus & amori proprio indulgentiam, laboris & conatûs fugam. Ego meâ propriâ culpâ conſenſi, in malam cogitationem, meâ culpâ, protuli verbum otioſum, præcepta, morâax, meâ culpâ maximâ, malum opus commiſi, meâ culpâ, omiſi tot bona, omiſi tot perfectiones, in bonis operibus, tot abuſus ſum auxiliis tuis, tot rejeci gratias & inſpirationes, tot contempſi occaſiones. Mea eſt malitia atque culpa Domine, quòd hodie, non in tempore de ſtrato ſurrexi, quòd non obedivi pulſui, tanquam voci tuæ Divinæ, quòd primitias, cogitationum, nec de Te habui, nec Tibi obtuli, ſed à demone præripi permiſi, quòd actus pios à ſurrectione ſervari ſolitos, à meque mihi præſcriptos, à Te mihi inſpiratos, neglectim feci, aliquos neglexi, aliquos diſtuli. Mea eſt culpa Domine, quòd in eâdem ſurgendi, veſtiendique horâ, alienâ à tempore cogitavi, non habui Te præſentem, non fui honeſtus & modeſtus, & angelicus in oculis Tuis, in oculis Angeli mei, in oculis meis Tibi utique ſacris. Mea eſt culpa Domine, quòd imparatus, vel obiter paratus ad orandum veni, quòd orationi præmittenda non præmiſi, quòd nec Te præſentem conſtitui, nec me coram Te humiliavi, nec cum fame ad orandum acceſſi, &c. quòd non tantum non invenit me hora orationis orantem, aut ſignum orandi præſtolantem, ſed etiam ſubtraxi de tempore primo orationi, non eam ſtatim à pulſu cum aliis inchoando, ſed alia interim perficiendo, atque differendo &c. Hæc tibi omnia Deus meus confiteor, pro his omnibus erubeſco, ac doleo eaque deteſtor, ac emendare pronono, nec illa ſolum, ſed etiam illa quæ mihi occulta ſunt, vel ob meam oblivionem, cum tamen ſcire tenebar, vel demonis propriique mei iudicii

dicii malam sub pallio virtutis occultationem, vel denique ob desidiam meam, & incuriam in profectu meo, continuamque negligentiam, & illas etiam confiteor Tibi culpas meas Domine Deus, quas me non cognoscente, non pro peccatis reputante, Tu nosti & reputas, quas nisi Tu impedisses, ego commissurus eram, quas si noscerem etiam confiterer, & retractarem. Has tu clementissime veniarum Pater omnes dimitte, ut mundus & purus sim, in oculis Tuis, quamvis vilissimus & miserrimus sim in oculis meis.

EXCITABIS post hæc in te affectum, perfectæ & veræ Contritionis, hac, vel simili ratione.

PECCAUI Deus meus, & Pater meus in cælum, & coram Te. Peccavi Tibi soli, & malum coram Te feci. Peccavi contra Te, Deum Trinum & unum, contra Te Patrem Æternum, qui de nihilo, me creasti, contra Te Fili Dei, qui me tuo sanguine redemisti, contra Te sancte Spiritus, qui me in baptismo sanctificasti, contra Te Sanctissima Trinitas, quæ mihi tuam imaginem impressisti & Tibi, me in habitaculum elegisti. Peccavi Deus meus contra Tuam infinitam Bonitatem, qua Te impendisti, ad jugiter mihi benefaciendum, contra Tuam charitatem, quæ me gratis dilexisti, contra misericordiam, quæ mihi gratuito peccata dimisisti, contra omnipotentiam, quæ me iuvas in omnibus quæ facio. Peccavi contra omnes perfectiones tuas, eas conculcando, ut meam sequerer voluntatem. Peccavi contra Te Deum meum, Patrem meum, Magistrum meum, Pastorem meum, Regem meum, Protectorem & Benefactorem meum, omne Bonum meum. Peccavi contra omnia beneficia, quæ mihi, ex, & cum summo amore contulisti, quo nomine peccavi etiam in cælum, quod me illumina-

nat,

nat, in terram, quæ me sustinet, in omnes creaturas,  
 quæ mihi ministrant, in Angelos, qui me custodiunt,  
 in socios, qui mecum communionem meritorum ha-  
 bent, in corpus & animam meam, quæ à Te Deo meo  
 condita, & mihi ad usum data sunt, peccavi in ratio-  
 nis lumen & fidei, quod rejeci & repudiavi, in Tuam  
 Gratiam Nutricem meam, quam destruxi & in me  
 impedivi. In dona spiritus sancti, quæ abjeci, in  
 virtutes, quas deleui & infuscavi. Et in his omni-  
 bus, Tibi tamen Deo meo soli peccavi, quia istæ in-  
 juria, tuæ sunt injuria, tuæ contumelia. Neque so-  
 lum peccavi contra Te, sed etiam coram Te, o Do-  
 mine Deus meus; Peccavi coram Tua Sapientia, quæ  
 me peccantem intuebatur, coram charitate, quæ  
 mihi indulgebat, coram liberalitate, quæ me dita-  
 bat, coram ipsa omnipotentia, quæ me adjuvabat.  
 O me cæcum! cur non attendi, coram quo, & con-  
 tra quem peccabam? O Deus æterne atque dignis-  
 sime! jam non sum dignus vocari filius tuus, non  
 sum vel ipso hominis atque creaturæ nomine dignus,  
 non sum dignus, hoc ipso esse, quod à Te accepi, &  
 quod mihi semper conservando donas, siquidem pec-  
 cavi toto me, totoque esse meo, in Te, & coram Te,  
 qui illud mihi dedisti. Mallem, mi dignissime Deus,  
 mallem millies non fuisse, nec esse, quam Te offen-  
 disse, quam Te, vel unico deinceps peccato offendere!  
 Parce Domine parce, & dimitte, quod contra Te,  
 & coram Te feci; ut eluceat infinita Bonitas & mi-  
 seratio tua, tantam injuriarum gravitatem, & mul-  
 titudinem condonando, & me à tanta, tamque  
 multiplicitate miseria liberando, ut & ego Te in æternum  
 laudem, misericordias tuas in æternum & ultra de-  
 cantando.

De hac Industria id ipsum, quod de præce-  
 denti,

V. P. Druz. Op. IX.

C

denti,

denti, nota, eam inprimis fore tunc utilissimam, quando erit usitatissima. Deinde ad minuendum in ejus usu laborem, puto expedire, habere indiculum vel in memoria, vel in oculis, omnium tam horarum, quam actionum. Præterea, judico expedire etiam, in eundem finem, ut habeatur indiculus Regularum, sive observationum in unaquaque actione observandarum; sic enim facilius erit videre, quid unicuique actioni, non solum insit imperfectionis, sed etiam desit perfectionis, facilius item erit confiteri Deo, & sese accusare apud illum, de singulis: efficaciora quoque erunt proposita emendationis ad particularia respicientis, & distinctè proponentis, quam ad generalia, & confusè intuentis.

## INDUSTRIA VII.

*Ratio Examinandi conscientiam, per Postulationem a Deo, ut ille indicet, quid de nobis, nostrisque operibus judicet.*

*i. Moral.  
cap. 17.*

**S**ANCTUS Gregorius Magnus ait: *Sæpe melius scrutamur conscientiam nostram orando, quam inquirendo.* facit Sancti Patris dictum, ad proximè positas Industrias: facit & ad hanc, quam in præsentem tradere aggredimur, in qua etiam modum Examinis præscribimus orationi conjunctum & oratione peragendum, & quidem hac ratione. 1. Accedat homo mente saltem & corde ad Deum, eumque præsentem habens, atque adorationis & reverentiæ cultu honorans, ejus sese oculis totum, quantus quantus est, subiciat.

2. PE-